



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 772. An executori ratione hujus officii debeatur salarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Bullar. V. Capit. Sede vac. q. 12. vers. verum quia.
Gutt. 99. can. c. 11. num. 10. Monet. cit. c. 5. à
num. 97.

6. De cetero notandum hic circa causas mutandi ultimas voluntates; quòd causa iusta & necessaria sæpe in iure confundantur; cum omnis causa necessaria sit quoque iusta, causa etiam necessaria dicatur magna in exequendo difficultas; cum valde difficilia reputentur moraliter impossibilia per *L. 125. de ff. S. quin & evidens major utilitas necessitati æquiparetur*, ita ut, quæ hujus, etiam illius causâ permittantur. *Clem. 1. de reb. Eccles. alien. ubi Gl. v. necessitas.* Lambertin. *de jurep. L. 3. q. 6. a. 1. num. 6.* Monet. *l. c. c. 6. num. 101.* Wiestn. *num. 300.* Quamvis aliàs iusta causa importet causam omnem rationabilem, qualis adhuc est, etsi non sit cum necessitate & difficultate conjuncta, sed purè consistat in utilitate, quæ ad istiusmodi commutationes sæpe sufficiens; semper enim exigam causam necessitatis, & non sufficere causam purè publicæ utilitatis, repugnat communi sensui & usui. Wiestn. *num. 295.* cum Monet. *l. c. c. 6. num. 109.*

Quæst. 771. Num executor solvere possit & debeat omnia testatoris debita, vendereque bona testatoris ad solvenda legata.

1. **R** Esp. Ad primum: debita testatoris distincta à legatis, non contenta in testamento executores solvere nec debent, nec possunt; quia solum sunt executores testamenti; sed ea ab hærede peti debent, nisi tamen testator in genere dixisset, ut exoneraret suam conscientiam, ut executores solvant ejus debita; tunc enim possent & deberent omnia ejus debita, non solum civilia, sed & naturalia, quæ in foro conscientiæ debentur, solvere de Lugo. *de 7. & 7. Tom. 2. d. 24. num. 333.* Possunt etiam, si hæres non resistat, legata debita propria autoritate solvere. hærede verò invito, non potest executor propria autoritate rem legatam capere, ut tradat legatario; quia non potest propria autoritate hæredem ejicere è sua possessione bonorum. Potest tamen & debet Episcopum rogare, ut is compellat hæredem; uti etiam ipse potest agere contra hæredem & debitores hæreditatis ad pia legata; ad alia verò, si sit merus executor, non potest agere directè, sed implorare debet officium Judicis, ut is ex officio hæredem cogat; quamvis soleant testatores facultatem dare executoribus agendi contra hæredes & alios. ita de Lugo. *l. c.* remittens ad Molin. & Sanch.

2. **R** Esp. Ad secundum: non potest executor particularis (qualis hic dicitur, qui instituto alio hærede nominatus est ad exequendum testamentum) vendere propria autoritate bona testatoris ad exequenda legata aliæque opera à testatore præscripta. estque talis ab eo facta venditio nulla. Lugo. *l. c. num. 332.* addens, de facto tamen solere communiter testatores executoribus etiam illis concedere illam facultatem vendendi in ordine ad implenda in testamento contenta. Potest verò, ut Idem, id sine speciatim ad hoc concessa facultate executor generalis (qualis dicitur, qui nullo hærede instituto, constitutus ad voluntatem defuncti exequendam, & distribuendi bona illius in salutem animæ defuncti) cum is reputetur quasi hæres per *L. si quis ad declinandam. c. de Episc. & Cler.* Porro

executor particularis instructus illa facultate vendendi, in vendendo servare debet ordinem, vendendo prius mobilia, postea jura & actiones, ac dein immobilia, juxta *L. à divo. §. in venditione. ff. de re judic.* Item vendendo bona fide, nimirum rem magni pretii non vendendo pretio minimo. Potest tamen etiam hæres executorem impedire ne vendat, offerendo pecuniam necessariam, vel exhibendo se paratum ad vendendum & satisfaciendum intra debitum terminum, vel offerendo rem aliam, quæ cum minore incommodo vendi possit, vel emptorem, qui majus pretium offerat. Ceterum, ubi suo jure vendere potest executor, non tenetur de evictione, sed hæres. Potest etiam permutare, obligare & in solutum dare, non tamen hac facultate uti de jure communi ante aditam hæreditatem, nisi ad legata pia; nec sine prius requisito hærede, nisi fortè is ex industria fugeret executorem. ita ferè de Lugo.

Quæst. 772. Num executori debeat salarium ratione hujus officii.

R Esp. Quamquam quandoque executori relinquatur honorarium aliquod à testatore, non tamen debetur hoc illi tanquam salarium ratione officii; de hoc enim ejus salario nulla est in iure mentio, estque hoc contra praxim; cum officium sit voluntarium pietatis & caritatis vel amicitiae. Nisi tamen ea de causa executor impediretur à rebus propriis agendis, ac inde pateretur lucrum cessans vel damnum emergens; hoc enim ei ex rebus hæreditariis compensandum esset; vel nisi esset non merus executor, sed etiam administrator bonorum; pro hac enim administratione deberet illi per Judicem assignari salarium competens. de Lugo. *l. c. n. 335.*

Quæst. 773. Quamdiu duret officium executoris, & num eo finito, teneatur reddere rationes gesti officii.

1. **R** Esp. Primò: quod attinet ad primum, de eo satis dictum suprâ, ubi, intra quod tempus executor debeat suum officium exequi, seu inchoare & finire. nam præfixo ei ad hoc tempore elapso, cessat ejus officium absolute, si integrè omnia executus fuerit, vel devolvitur ad alium, si neglexerit.

2. **R** Esp. Secundò: tenentur executores reddere rationes executionis seu gesti officii sui, ut, si in eo deliquerint, puniantur. ita communiter omnes. Non tamen tenentur reddere rationem de iis, quæ defunctus eis secreto exequenda commisit, nisi præsumeretur fraus, quia res reperirentur penes executorem. si tamen testator non declarasset testamento hanc commissionem datam executori, nec id aliter testibus probari possit, non crederetur assenti sibi eam factam. ita de Lugo. *num. 334.* ubi etiam cum Sanch. *du. 49.* (qui tamen addit, credi executori assenti cum juramento in rebus minimis) & Molin. *d. 250.* esse hanc causam reddendarum rationum mixti fori, & in ea locum præventioni. Porro Clericos & Religiosos, tam exemptos, quam non exemptos, qui munus hoc exercent, teneri has reddere vi *Clem. unic. de testam.* coram Ordinariis locorum seu Episcopis & Diocesanis, astruit de Lugo. *num. 327.* citans pro hoc Sanch. & Molin. Verum id ipsum quòd ad exemptos procedere negant cum Gl. in *cit. Clem. V. tales.* Abb. *ibid. n. 8.* Barbof. *n. 5.* quibus citatis iuhæret Wiestn. *b. r. num. 289.* citans quo-